



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VII. Sanctus Gregorius vices suas in Sicilia commisit Maximiano Episcopo Syracusano. Sed hoc privilegium fuit personale.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

causarum quæ inter Episcopos emergerent cognitionem ei iudiciumque committit. *Vices itaque nostras, inquit, per Beticam Lusitaniamque provincias, salvis privilegiis quæ Metropolitanis Episcopis decrevit antiquitas, presentis tibi auctoritate committimus, augentes tuam hujus participatione ministerij dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excubias. Tum de celebrandis Conciliis, & de causis Episcoporum judicandis: Quoties universalis poscit religionis causa, ad Concilium te cuncti fratres evocante conveniant; & si quorum specialis negotij pulsat contentio, jurgia inter eos oborta compece, discussa sacris legibus determinando certamina. Demum verò jubet ut de singulis quibusque negotiis ad se rescribat, etiam de iis quæ finem in provincia accepissent, prorsus contra mandata quæ Vicariis Theſſalonicensibus & Arelatenſibus data fuerant, qui tum demum relationem ad apostolicam sedem mittere tenebantur, si causa in provinciali iudicio terminari non potuisset. *Quidquid autem illis, inquit Hormisdæ, provide & veteribus constitutis vel provida dispositione precipies, vel personæ nostræ auctoritate formabis, totum ad scientiam nostram instructæ relationis attestacione perveniat.**

VI. Hunc eundem Hormisdæ volunt sancto Remigio Remensibus Episcopo vices suas commississe per regnum Clodovei, qui baptizatus & insertus corpori Christi fuerat ab eodem Remigio. Extant porrò literæ ad Remigium propterea datæ ab Hormisdæ, descriptæ, ut visum est viris eruditissimis, ex superiori epistola ad Sallustium, adeoque fortassis referendæ inter spurias Pontificum Romanorum epistolas. Certè Sirmondus, cum Conciliorum Galliarum tomos adornaret, in quos varia Romanorum Pontificum rescripta conjecit, istud omisit, non omisurus haud dubiè si qua in eo lux veritatis deprehensa ab illo fuisset. Quia tamen sunt qui epistolam illam germanam esse contendunt, iudicio suo fruuntur.

VII. Sanctus Gregorius vices suas in pluribus provinciis commisit diversis Episcopis, quos recensere supervacaneæ esset diligentia. Heic tantum agere paucis institui de vicariatu Maximiani Episcopi Syracusani & Augustini Cantuariensis. Ad Maximianum quod spectat, cum ad eum extent plurimæ Gregorij epistolæ, hac in primis ejus auctoritatem sancivit in Siculas Ecclesias. *Super cunctas Sicilie Ecclesias reverendissimum te virum Maximianum fratrem & coepiscopum nostrum vices sedis apostolicæ ministrare decernimus, ut quisquis illic religionis habitu censetur, fraternitati tue ex nostra auctoritate subiaceat: quatenus eis non sit necessarium post*

hec pro parvulis ad nos causis tanta maris spatia transmeando pervenire; sed si qua fortasse difficulta existunt, quæ fraternitatis tuæ iudicio nequam dirimi possint, hæc solummodo nostrum iudicium flagitent, ut sublevati de minimis, in causis majoribus efficacius occupemur. Ne verò successores Maximiani ex ea epistola afferre in posterum Syracusanæ sedi conarentur vicariatum apostolicæ sedis, his eam verbis concludit: Quas videlicet vices, non loco, sed

personæ tribuimus: quia ex transacta in te vita didicimus quid etiam de subsequenti tua conversatione presumamus. Privilegium itaque fuit personale.

VIII. Anno Christi DCCVI. cupiens Gregorius Anglos imbuere religione Christi, illuc misit Augustinum Abbatem, quem postea Episcopum ordinari iussit, Pallioque decoravit. Tum ei mandavit ut duodecim Episcopos per diversa loca ordinaret sub Londinensibus Ecclesiæ, ad quam ordinatus erat Augustinus, auctoritate. Mandavit præterea ut totidem Episcopi ordinarentur sub Episcopo Eboracensi. Hos autem omnes, id est, universos Britanniarum Episcopos, decernit semper subjectos fore Augustino, ita tamen ut privilegium illud non transeat ad successores. *Post obitum verò tuum, inquit, ita Episcopis quos ordinaverit (Eboracensis nimirum Episcopus) præsit, ut Londoniensibus Episcopi nullo modo ditioni subiaceat. Sit verò inter Londoniensibus & Eboracensibus civitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio, ut ipse prior habeatur qui prius fuerit ordinatus.*

IX. Objici potest nullam in his Gregorij literis mentionem esse vicariatus apostolici, adeoque hinc colligi non posse Episcopos Britanniarum subjectos Augustino fuisse tanquam Vicario Summi Pontificis. Et sanè certum est vicariatum illum datum non fuisse Augustino conceptis verbis. Attamen affirmare licet eum vices apostolicæ sedis accepisse cum Pallio. Quod manifestè colligitur ex nono ejusdem Gregorij responso ad interrogationes Augustini, quæ extant apud Bedam. Interrogaverat illum Augustinus qualiter deberet cum Galliarum & Britanniarum Episcopis agere. Respondit Gregorius: *In Galliarum Episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus Pallium Arelatenſis Episcopus accepit, quem nos private auctoritate percepta minime debemus. Cum Pallio igitur conjuncta tum erat dignitas Vicarij apostolicæ sedis, quam adimere Arelatenſi Episcopo injustum esse putabat Gregorius. Dispar ratio fuit de Episcopis Britanniarum, quos, cum nulli alij Vicario parerent, subjectos esse statuit Augustino, ut in superiori episto-*

Qij